

phonarien verwandt hat, der Aufklärung der Frage zugewandt wäre, welche, wie ich meine, von Liturgikern und Archäologen ganz vernachlässigt ist: wie und wann die Gallicanische Praxis: nur das 'latus responsorii' zu wiederholen, und damit der veränderte Text, in Rom das ältere Herkommen verdrängt hat — ein Punkt unter vielen, welche sich nachweisen lassen, worin die alte Römische Liturgie in Ceremonien, Text und Anordnung durch Gallicanischen Einfluss modificiert worden ist. Hier genügt es, durch einen Abdruck des Briefes von Helisachar einen kleinen Beitrag zu dem schon vorhandenen Material zu geben.

Reverentissimo meritoque venerando Nidibrio Narbonensis ecclesię flore virtutum exornato archiepiscopo, Helisachar inutilis et omnium exiguus in Domino Deo aeternę prosperitatis salutem.

Meminisse credimus sanctam paternitatem vestram, quod dudum quando apud Aquasgrani palatium me offitium palatinum, vosque propter ecclesiastica dirimenda imperialis iussio obstringeret, et frequenter una nocturnis horis ad divinum celebrandum offitium conveniremus, animumque nostrum sacrę scripturę lectio serenum efficeret; sed ut referre solebatis responsoria auctoritate et ratione carentia, versusque qui in quibusdam responsoriis a nostris vestrisque cantoribus inconvenienter aptabantur, animum vestrum magna ex parte obnubilarent, mihi imperando iniunxeritis, ut adhibito sollerti studio pro captu ingenii in divinarum scripturarum pratis versus convenientes indagarem, et in responsoriis auctoritate et ratione refertis, congruis in locis aptarem. Sed licet hoc negotium vires meas excedere, meamque insipientiam tale quid nullo modo posse iudicaverim, non pręsumpsi tamen omittere quin id quod vestra sanctitas imperaverat summa cum devotione exequerer, fisus in illius gratuita misericordia qui potens est per inutilem et exiguum servum vestro sancto desiderio satisfacere, et quod vestrę devotioni et meritis debebatur mee quoque imperitię administrare. Adgrediens itaque hoc opus, aggregatisque¹ hinc inde antiphonariis cantoribusque, adhibita etiam librorum copia et peritis lectoribus, coepimus diligenter concordiam probare antiphonariorum. Sed quamquam in gradali cantu qui solummodo auctoritate sanctarum scripturarum nitet minime discordare possent, in nocturnali tamen qui sive ex auctoritate divina seu ex sanctorum patrum dictis compositus extat², paucissimi in unum concordare reperti sunt; quoniam quędam in eis scriptorum vitio depravata, quędam imperitorum voto ablata, quędam etiam sunt admixta. Unde

1) 'aggregatosque' cod. 2) Ursprünglich 'erat' corr. eadem manus.